

sunt, cœlestes cibos desiderant: qui ex Deo nati sunt et Deum quærunt, norunt, se ex verbo Dei vivere tamquam ex cibo mentis; inde velut ex materno lacte confortari et crescere in gratia et virtutibus. Nulla re citius animadvertitur utrum quis sanus an æger sit, quam si cibum appetat vel respuat. Unde S. Chryso. hom. XIV. in Gen. *Ut esurire signum est valetudinis in corpore, sic amare divina eloquia indicium maximum sanitatis in anima.* Qui navigare in Indias volunt, acum nauticam secum gerunt, et diligenter ac crebro aspiciunt, quo iter suum dirigant; alioquin multoties et gravissime aberraturi. Qui ad cœlum navigare volunt, verbum Dei sedulo audiunt, quia illud instar acus nauticæ recta dirigit nos ad cœlum. Civitas illa bene gubernabitur, quæ sæpe senatum cogit, et quid agendum sit in quavis re, deliberat. Senatus animæ concio est, ubi auditur quid agendum sit cuique. Quemadmodum ergo civitas pessime gubernatur, quæ vix semel aut iterum senatum in anno cogit: ita peribit ille, qui verbum Dei nunquam consulit. Porro ut primores maxima decet interesse senatui, ita etiam capita civitatis maxime indigent verbi Dei pabulo.

IV. Forum. Hoc si variis mercibus sit repletum, si merces justo pretio vendantur, si varia ibi sint commercia, signum est civitatis bene constitutæ. Mysticum forum est commercium mutui auxilii, cum alter alteri necessaria communicat, et habens dat non habenti. Fuit hoc inter Capharnaitas. Cum enim paralyticus ille nec manum nec pedem movere posset, quo ad Christum medicum cœlestem adreperet, ecce quatuor cives pedes ac manus suas ei commuicant, eumque ad Christum gestant; eumque præ multitudinem inferre in domum nequirent, ascendunt in tectum et attollunt ægrum, non certe sine difficultate; et perfracto tecto, ad pedes Christi deponunt, utique cum supplicii insinuatione precum. Ad hæc ille etiam, cujus erat domus illa, neququam reclamat aut obluetatur, quod sibi tectum perforetur. Denique, qui infra stabant circa domum neque ipsi objurgant tecti perruptores, quod tegula in se dejiciant, quod factum esse probabile est. Tale est commercium civitatis Christi, ubi alter alterius onera portat, dives pauperem, doctus indoctum, robustus debilem, sanus ægrotum, videns cæcum, sapiens errantem. Atque hoc sibi voluit illa Græcorum fabula de cæco portante claudum, ut ambo sibi victum comparare possent. Quid enim hi duo agant, in vasta præsertim silva, nisi cæcus claudum gestet, claudus cæcum dirigat? Sic claudus acquirit pedes, cæcus

acquirit oculos. Claudus sunt pauperes, quia sustentaculo vitæ carent: cæci sunt divites, qui bonis suis immersi, cœlum in divitiis quærunt. Sed aberrant et graviter sæpe velut cæci in via cœli impingunt. Quid igitur factum opus? Sublevet dives pauperem, et pauper suis precibus, vel etiam sua doctrina (quod faciunt religiosi maxime) divitem ad cœlum dirigat. Sic apostolus, II. Cor. VIII. monet divites Corinthios, ut suis eleemosynis sustentent pauperes Jerosolymitanos: *Vestra abundantia, inquit, illorum inopiam suppleat, ut etiam illorum abundantia, (in pietate, meritis, fide, oratione) vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas.* Abundant pauperes meritis, orationibus, doctrina, si religiosi sint; egent vicissim corporalibus adjumentis. Abundant his divites, et egent illis: faciant ergo commercium: sic fiet æqualitas. Talis civis erat Job, qui c. XXIX. ait: *Oculus fui cæco, et pes claudus, sic pauper divitem, dives bajulabit pauperem, et ambo pervenient ad Christum in cœlum.*

V. Curia. Hæc si bono magistratu prædita sit, utique maximum civitati commodum simul et ornamentum erit. At nos per curiam intelligemus custodiam, seu observantiam justitiæ et disciplinæ. Hujus zelatores se ostendunt etiam magistratus Capharnaitarum, dum rati Christum loqui blasphemiam, (ubi in facto quidem errarunt) mox in animo conturbantur et indigni bundi intra se dicunt: *Quid hic sic loquitur? Hic blasphemat.* Hostes ergo se blasphemæ, et divini honoris zelatores demonstrant, et quoad hoc quidem bene: quod etiam civitatis est, honorem Dei defendere, et contumeliam castigare. Fecit hoc in cœlo Michael, exturbando blasphemum Luciferum: fecit in cruce Iatro, socium, necnon oblique Judæos, Christum blasphemantes, reprehendendo. Par fere ratio est in aliis peccatis. Quando vero magistratus, qui ex officio debet, non corrigit publica peccata, tum eripit ei Deus gladium, et punit ipsemet subditos una cum magistratu. Sunt in Apollonia oves soli sacræ, quas noctu viri fortuna splendidi custodiebant. Porro Evenius aliquis suas pro more in custodia pecoris vices obiens, lupum ingredi in ovile, et sexaginta oves sua incuria devorari passus est: quamobrem iudicio civitatis damnatus, oculis orbatus est, auct. Herodot. I. IX. Animæ fidelium oves non soli, sed Deo sacræ sunt. Quisquis igitur harum ovium custos positus, officio suo deest, et lupos in eas intrantes, sceleratos inquam, castigare intermittit; videat quid mereatur: perdere nimirum oculos, quibus aspicere Dei gloriam, si vigilasset, poterat.

Stultus hujusmodi et cæcus pastor fuit Sede-

cias, Judæorum rex, qui adeo in regno suo invalescere sceleratos permisit, ut de eo Isaias dixerit. c. I. *Omne caput languidum et omne cor mærens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Etenim sub ipso, uti II. Paral. ult. refertur: « Universi principes sacerdotum et populus prævaricati sunt inique juxta universas abominationes gentium, et polluerunt domum Domini, etc. quin et nuntios Dei subsannabant; » quemadmodum et ipse rex: *Non erubuit faciem Jeremiæ.* Quid igitur Deus cum pastore isto? Tradidit eum in manus Nabuch. reg. qui postquam ejus filios occidit in conspectu patris, eruit ipsi oculos, et captivum abduxit in Babylonem. Sic impletum fuit vaticinium Jer. c. I. ad ipsum directum: *Virgam vigilantem ego video.* Quia enim ipse rex vigilare noluit super scelera populi sui, vigilavit virga Dei super ipsum regem, et oculis, quibus lupos observare debebat, eum spoliavit.

CONCIO III.

DIGNI PŒNITENTIÆ FRUCTUS.

I. Fuga peccati et occasio peccandi. — II. Punitio dimissarum culparum. — III. Compensatio operum malorum per bona.

THEMA.

Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.
Matth. IX.

Audimus in hodierno evangelio dimissa fuisse peccata homini paralytico: sed quid est quod eidem injungit Dominus, ut tollat lectum suum, gestetque in domum suam? Si de littera loquamur, præcepit hoc ei Dominus, ut testatum faceret, vere et integre sanatum esse paralyticum, adeoque pristinis viribus plene restitutum, ne æmuli ejus Pharisæi calumniandi causam haberent. Sed si mysticam causam requiramus, eam exponit S. Bernardus, in sermone de quatuor modis orandi; quæ videtur fuisse, ut hoc jussu Dominus quasi digito nobis ostenderet fructus pœnitentiæ, quos requirit a pœnitente, cui dimissa sunt peccata; non minori jure, quam quo hortulanus requirit fructus ab arbore, quam plantavit: quos etiam requisivit a suis pœnitentibus Joannes Baptista, Lucæ III. dicens: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Hos igitur designans ait Dominus paralytico: *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* In quæ verba loco cit. Bernardus: *Et tu ergo si jam surgis desiderio supernorum; si grabbatum tollis, corpus scilicet a terrenis elevans voluptatibus, ut jam non fera-*

tur anima concupiscentiis ejus, sed magis ipsa ut dignum est, regat illud et ferat quo non vult: si demum ambulas, quæ retro sunt obliviscens, et ea, quæ ante sunt, te extendens desiderio et proposito proficiendi, curatum te esse non dubites. Ex fructibus enim cognoscitur arbor. Quæ explicatio non abludit mea sententia a doctrina D. Thomæ Aquin. qui in cap. III. Matth. triplices pœnitentiæ fructus dignos proponit: quorum unus est: « Ut homo fugiat peccata et peccandi occasiones; alter, ut puniat in se quod commisit, et hoc iudicio sacerdotis; tertius, ut tantum studeat ad bene agendum, quantum studuit ad peccandum. » Primus continetur in verbo *surge*: secundus in verbo *tolle lectum tuum*: tertius in verbo *vade in domum tuam*. Quæ omnia nunc paulo fusius declarabimus.

I. *Surge.* Quid hoc aliud quam dicere: Surge a peccatorum lecto, in quo jacuisti? Fuge in posterum a peccatis, et peccandi occasionibus? Quam dicere: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem, etc. *Qui furabatur, jam non furetur.* etc. ad Ephesios IV. Jacuit prius miser ille paralyticus pronus in terra, postea ad vocem Domini erexit se, cœlo utique vicinior, et a terra remotior factus. Idem fac tu, si per pœnitentiam a languore tuo sanatus es: erige te in pedes, siste te paratum et expeditum ad faciendam Dei voluntatem et ambulandum in via Domini; quomodo currus, qui aurigæ imperitia eversus, postea rursus erectus stat super rotas suas, ad progressum jam paratus. Desere priorem situm, ita ut, si prius terram et terrena adamasti, nunc, relictis illis, cœlum et cœlestia desideres ac quæras; quomodo Jordanis aquæ ad præsentiam arçæ, cessarunt fluere deorsum in mare mortuum, et stantes erexerunt se versus cœlum, ad instar alicujus montis. Denique, si prius capite in terram verso ambulasti, jam, erecto ad cœlum vertice, ambula rectus, non ut arbores, sed ut homines; id quod est se convertere. Hunc pœnitentiæ dignum fructum ita explicat B. Chrysostomus, homilia XXI. ad populum. Quod oporteat pœnituisse, et a prioribus destituisse malis, et sic ad gratiam accedere, audi quid Joannes dicat, quid vero summus apostolorum baptizari debentibus. Ille nempe dicit: *Facite fructum pœnitentiæ, et ne incipiat dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.* Hic autem interrogantibus rursus aiebat: *Pœnitentiam agite, et baptizetur quisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi.* Pœnitentiam agens autem non amplius eadem attingat negotia, quorum pœnitentia

Proptereaque jubemur dicere: Abrenuntio tibi, Satana, ne amplius ad ipsum revertamur. Sicut igitur in pictoribus accidit, sic et nunc fiat. Et enim illi tabulas proponentes et albas circumducunt lineas, et regias depingentes imagines, priusquam colorum veritatem superinducant, cum omni libertate hæc quidem delent, hæc vero repingunt, et errata corrigentes, et male se habentia transponentes: postquam vero jam colorem induxerint, non amplius libertatem habent rursus delendi et depingendi: quoniam imaginis pulchritudini nocerent, et sine culpa fieri non posset. Hoc tu quoque fac, puta animam tibi esse imaginem. Priusquam igitur superveniat vera spiritus tinctura, male infinitas tibi consuetudines dele: sive jurare, sive mentiri, sive contumelias inferre, sive turpia loqui, sive ridicula facere solitus es, sive quid aliud hujusmodi non licitum faciendi consuetudinem habeas, erue consuetudinem, ne post baptismam rursus ad ipsam regrediaris. Hunc poenitentiae fructum vidit Deus in Ninivitis: *Quia conversi sunt de via sua et mala, et misertus est*, Jon. III. quem locum idem S. Chrysost. hom. III. ad pop. « Cernis, ait, quod non jejunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deum barbaris placatum et benevolum reddidit? Hæc dixi, non ut jejunium contemnamus, sed ut jejunium honoremus: honor enim jejunii est non ciborum abstinentia, sed peccatorum fuga. » Vicissim, ut idem epistola V. ad Theodorum lapsus ait: « Corrupit poenitentiam iterum iisdem malis instituisse. Nam unus est, ait Scriptura, qui extruit, et alter qui demolitur: quid lucrì accedit præter laborem? Expiatur quis a tactu mortui, et iterum attingit funus, quid emolumenti huic ex lavacro? Haud secus homo, qui jejuna de peccatis, scilicet suis, et pergit, eademque de novo committit; quis hujus preces exaudiet? » Sic ille. Consentit ei antiquissimus Tertullianus, l. de poenit. c. II. *Ubi emendatio nulla, inquit, poenitentia necessario vana; quia caret fructu suo, cui eam Deus servit, id est, hominis salutem.* Neque solum fugere pristina peccata necesse est, sed peccandi etiam occasiones, ut ex S. Thoma audivimus, si fructum poenitentiae facere velimus. Insinuat hoc Judæis; quin et nobis, quando de muliere alienigena, seu gentili, quæ nubere volebat Hebræo, præceptum hoc a Deo latum est: *Radet cæsariem, et circumcidet ungues, et deponet vestem, in qua capta est*, Deut. X. § XII. Mulier hæc gentilis Hebræo nupta significat animam a peccatis ad Deum conversam, ut exponit Lyranus, in moral. et Rabanus; quæ ut Christo uniatur, non modo radere debet cæsari-

riem, h. e. vitia præterita deponere, sed etiam ungues præcidere, id est, peccandi occasiones, quæ velut ungues facile iterum nocere et vulnerare possunt, tollere. Itaque vere poenitens ejiciat e domo, aut fugiat pellicem sociosque malos, comburat libros vetitos, carmina magica, aleas, etc. Quod hac etiam similitudine declarat S. Chrysostomus, l. I. de compunct. cordis: *Sicut in corporibus et fistulis, inquit, nisi prius influentem humorem sistat, et vulnus tergat, quotquot imposuerit medicamina, mali fonte non obstructo, incassum omnia facit medicus: ita nos, nisi occasionem quasi mali fontem caverimus.* Fructum hunc edidit Petrus, quando, agnito peccato suo, egressus est foras e palatio Herodis et prava societate, a qua in peccatum fuerat inductus, Matth. XXVI.

II. *Tolle lectum tuum*, q. d. porta jam tu onus, a quo prius portabaris: et si prius in lecto tuo suaviter quiescebas, nunc laboribus preme humeros et carnem tuam, juxta id Apoc. XIII. *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Typum hujus fructus insinuat Deus in veteri lege, quando præcepit, ut offerens hostiam sacerdoti non solum pectus, sed etiam armum offerret, Levit. VII. Pectus indicabat, necesse esse ut poenitens sacerdoti per confessionem pectus suum aperiat: armus vero dexter, ut humeros etiam suos, et quidem fortis, ad ferendam sibi poenitentiam a sacerdote castigandis suis peccatis injunctam, supponat. Ita dicitur Ezechiel XVI. *Ergo et tu porta confessionem tuam, quæ vicisti sorores tuas in peccatis suis, etc.* Septuaginta vertunt: *Et tu sustine tormentum tuum.* « Portat autem tormentum suum, ait S. Hieronymus in eum locum, qui propria torquetur conscientia, et isto sæculo sustinet propria voluntate cruciatum, ne æterna tormenta sustineat. » Modum vero et rationem præscribit Susannæ virgini lapsæ, in ep. XXII. ad Susan. tom. IX. « In primis omnis cura vitæ hujus intermittenda est tibi, et quasi mortuam te existima sicut es, quomodo possis reviviscere, cogita. Deinde, lugubris accipienda est tibi vestis, et mens, et membra singula digna castigatione puniendi. Amputentur crines, qui occasionem luxuriæ præstiterunt: diffluant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt: pallescat facies, quæ quondam erubuit impudice: totum denique corpus injuriis et jejuniiis maceretur cinere aspersum, et cilicio perhorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit, etc. » et in ep. XXVII. ad Eustoch. in tale exemplum poenitentiae adducit S. Paulam, quæ cum moneretur ab eo, ut parceret oculis

a lacrymis, respondit: « Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso et cæruca et stibio sæpe depinxit: affligendum corpus, quod multis sæpe vacavit deliciis: longus risus perpetuo compensandus est fletu: mollia lintamina et serica pretiosissima asperitate cilicii commutanda: quæ viro et sæculo placui, nunc Christo placere desidero. » Ita B. Paula, imitata Magdalenam, quæ instrumenta lasciviæ, nempe oculos, capillos, odores in instrumenta convertit poenitentiae. « Quod sibi turpiter exhibuerat, inquit D. Gregorius, hom. XIII. in evang. hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat; sed hos jam per poenitentiam conterens flebat: capillos ad compositionem vultus exhibuerat; sed jam capillis lacrymarum tergebat: ore superba dixerat; sed pedes Domini osculans, hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. » Itaque in holocaustum Deo immolavit membra, quæ mundo prius servierant, ut eo quasi supplicio punirentur, simul et Deo sacrarentur. Bethsamitæ, ubi receperunt arcam, prius a Philisthæis captam, et post in plastro a duobus vaccis ad se relatum, combusserunt plastrum una cum vaccis in holocaustum Domino, I. Reg. VI. ne plastrum et boves, quæ sacræ rei deservierant, deinceps rebus profanis deservirent. Magdalena vero membra sua obtulit in holocaustum Domino, ne profanis et impuris rebus amplius servirent. Eadem peccatricem imitandam proponit S. Chrysost. in orat. de B. Philogonio, tom. III. ita scribens: « Etenim per quæ deceperat homines, per eadem paravit remedia poenitentiae; per quæ avocarat oculos intemperantium, per hæc emisit lacrymas; per capillos arte compositos multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes abstersit Jesu; unguento multos inescarat, per hoc pedes illius lavit. Proinde et tu, quibus rebus provocasti Deum, per has rursus facito propitium. Provocasti illum pecuniarum rapina, per easdem illum reconcilia, quumque et rapta restitueris illis, quos injuria affecerat, et alia insuper addideris, dicito juxta Zacchæum: Reddo, si quid rapui, quadruplum. Provocasti linguæ maledicentia, multis contumelia affectis; vicissim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. » Eadem poenitentem imitatus est B. Arsenius, ex imperatorum instructore eremita; qui dum plecteret sportas ex palmarum foliis, mittebat aquam in pelvim, ut infunderentur palmæ, et cum foeteret brumosa aqua odore, non permittebat, ut aliam

aquam mutarent, sed super illam foetidam aliam addebat aquam, ut semper foeteret. Interrogabant autem fratres eum dicentes: Cur non permittis, pater, ut aqua mutetur, sed pessimo fetore tota cella tua repletur? Respondens autem b. senior ait: Quoniam propter thymiamata et muscata et alia diversa, quibus in sæculari conversione sine intermissione fruebar, oportet nunc me, dum in hoc corpore sum, sustinere istiusmodi fetorem, ut in die judicii de illo gehennæ inenarrabili fetore liberet me Dominus, et non cum illo divite, qui epulabatur in isto mundo deliciose et splendide, condemnatur anima mea. Ita de ipso narrat abbas Daniel, apud Rosweid. in vita pp. l. III. Beatus quoque Sabas abbas, cum aliquando pomi specie illectus, et ab appetitu victus ex arbore id decerpisset, in pœna erroris abiecit, et deinceps tota vita pomis abstinuit, ut in ejus vita Cyrillus, apud Sur. 3. decembr. In hunc etiam sensum traxit B. Edildrida Angl. regis filia, postea abbatissa, corporis infirmitatem sibi inflictam, colli scilicet tumorem, quo multum, etsi doleret, tamen delectabatur, solita dicere: « Scio certissime quia merito in collo pondus languoris porto, in quo juvenulam memini me supervacua monilium pondera portare; et credo, quod ideo me superna pietas dolore colli voluit gravari, ut sic absolvat a reatu supervacuae levitatis, dum mihi nunc pro auro et margaritis de collo rubor tumoris ardorque promineat. » Ita scribit ven. Beda, l. IV. histor. Angl. c. XIX.

III. *Vade in domum tuam*, q. d. qui prius jacuisti nunc ambula, et redi eo, unde exportatus fuisti. Poenitenti etiam dicitur: *Ut tantum student nunc ad bene agendum, quantum studuit ad peccandum*, ait D. Thomas cit. Redeat per bona opera, eo, unde profugit per peccata, ad domum suam, ad conscientiam suam, ad Ecclesiam, ad cælum. « Est enim, ut ait Clemens Alexandrin. lib. IV. strom. sufficiens homini purgatio, perfecta firmaque et stabilis poenitentia, si cum de præteritis nos damnaverimus actionibus, antequam procedamus, postea intelligentes, et mentem immersam sustollentes tam ab iis, quæ per sensum delectant, quam a prioribus delictis. » Clarius idem exponit S. Chrysost., hom. X. in Matth.: « Agamus, inquit, poenitentiam, poenitentiam vero dico, non solum ut a malis prioribus desistamus, verum etiam ut bonorum operum fructibus impleamur. Facite, inquit, fructus dignos poenitentiae. Quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis adversa faciamus, v. g. Aliena rapuisti? Incipe jam propria donare. Longo es tempore fornicatus? A legitimo quoque usu sus-

pende conjugii, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Injuriam vel opere cuiquam vel sermone fecisti? Refer benedictionis verba conviciis, et percutientes te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evelere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis antea et temulentia difflebas? Jejunio et aquæ potu utrumque compensa, ut detrimentum, quod inde accepisti, auferas. Vidisti impudicis alienum decorem oculis? Feminam jam omnino non videas, majore tactus cautione post vulnera. » Egregiam hujus fructus speciem edidit David, quando aquam ex cisterna Bethlehem tam desideratam, sibi que demum magna difficultate allatam, non bibit, sed effudit et libavit Domino, H. Regum XXIII. Cujus rei rationem exponit D. Gregorius, in registro, lib. IX. epist. XXXIX. « David, inquit, qui alienam uxorem tulerat, et pro sua culpa valde fuerat flagellatus, aquam bibere longe post de Bethlehemitica cisterna voluit; quam cum ei fortissimi milites attulissent, eam effundendo Domino libavit. Licebat enim bibere, si voluisset: sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter abstinebat; et qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodum, si aquam biberet, etiam viventium militum sanguinem se fudisse judicavit. » Neque hoc solum præstitit, sed etiam, quia suo peccato aliquos scandalizarat, seu (ut II. Regum XII. dicitur) *blasphemare nomen Dei fecerat*, laboravit, ut verbo et exemplo scandalum illud tolleret, et seductos reduceret; ideo enim in Psalmo L. pœnitentiæ ait: *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur*. Quod etiam fecisse ejus filium Salomonem, aliqui existimant; qui in signum pœnitentiæ scriptum ab eo Ecclesiasten volunt, ad erudiendos eos, qui forte ipsius exemplo malo perversi fuerant. Ita correxerunt errores suos sequente pœnitentiæ Sanctus Marcellinus papa, sistendo se supplicem Concilio, postea tribunali imperatoris, ante quem negarat fidem ex timore: et in primis Sanctus Petrus, qui trinam suam negationem emendavit trina confessione: *Domine tu scis, quia amo te*. Ita qui pro publicis suis peccatis publicas egere pœnitentiæ, uti Theodosius senior imperator, ob cædem Thessalonicensium; Henricus II. Angliæ rex, ob cædem Sancti Thomæ Cantuarien. episcopi; Otho imperator junior, ob cædem Crescentii senatoris, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana urbe, sic usque in Garganum montem ad S. Michaelis perrexit ecclesiam. Per totam etiam quadragesimam in Cassensi monasterio

B. Apollinaris, paucis sibi adhærentibus, mansit ubi jejunio et psalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus palliis strato, ipse in storea, de papyris confecta, tenera delicati corporis membra terebat. Promisit denique B. Romualdo, quod imperium relinquens, monasticum susciperet habitum; et cui innumerati mortales erant obnoxii, jam ipse pauperculo fratri cœpit esse subjectus, uti refert beatus Petrus Damiani, in vita S. Romualdi. His adjiciamus Philippum comitem Namurcensem, de quo ita scribit Cæsarius, l. II. hist. et mirac. c. XVIII. « Ante hoc triennium defunctus est Philippus comes Namurcensis, vir potens et nobilis filius Balduwini comitis Flandriæ: antequam moreretur, tantam ei contulit Dominus in infirmitate contritionem, ut talis contritio non esset visa in aliquo homine nostris temporibus: quatuor abbatibus ordinis nostri simul et sæpe confessionem suam facere consuevit, in tantum se accusans, tantum plangens, ut omnes ad lacrymas provocaret. Nec ei ista sufficiebant, quin laqueum collo suo injiceret, rogaretque confessores suos, ut se traherent in plateam, dicens: Sicut canis vixi, dignum est, ut moriar sicut canis. Filias fratris sui Balduwini comitis, qui factus fuerat rex Græciæ, tradiderat regi Franciæ, cujus filiam duxerat uxorem, quidam dixerunt, quia venderit eas, de quo facto plurimum dolebat. Deportari se fecerat in pauperrimam domum civitatis suæ, in qua pauper spiritu migravit ad Dominum. Volens autem prius Dominus tantam ei remunerare contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tamquam dilectum confessorem: sepultus in ecclesia S. Albani martyris, in qua ipse instituerat conventum canonicorum, de suis justis redditibus eis stipendia adhuc sanus ordinans, tantis usque hodiæ signis coruscat, ut de remotis regionibus infirmi advenientes, ad ejus tumbam sanitatem recipiant, ipsamque terram circa sepulcrum effodientes, secum pro benedictione deportent. » Taceo alios quam plurimos. Unum id addo, nisi istiusmodi fructus sequantur pœnitentiæ, suspectam eam videri, ne falsa et ficta sit: Si enim vivit arbor, cur non producit fructus? Si vere sanatus est paralyticus, cur non e lecto surgit et ambulabat? « Quid prodest (inquit ven. Beda in verba Isaïæ: *Lavimini mundi estote*), spinis purgare agrum tuum, si non etiam aratro scindes eum, et seres in eo semen, unde gaudeas in futuro? Ita et qui deserit peccata, et ea non plangit pœnitendo, nec bonum postea facere consuescit, numquid fructuosum est peccata deserere, et bona non face-

re? » E contra: « Tribunal judicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius, digna eum modo placare pœnitentiæ contendit, » inquit S. Gregorius Magnus, in ep. ad Andream episcopum Tarentinum.

CONCIO IV.

DEUM OMNIPRESENTEM PRÆ OCULIS SEMPER HABENDUM.

I. Quia etiam Deus semper nos contemplatur. — II. Quia nos aspiciet testis, censor et judex. — III. Quia ejus bonitate fruimur continuo. — IV. Quia etiam hominum oculos reveremur in nostris actionibus. — V. Quia sine eo fræno in omnia scelera facile ruimus.

THEMA.

Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum. Matthæi IX.

Duplicem audimus fructum, quem in turba fecit Christus per hodiernum miraculum: *Timuerunt enim*; ecce primus: *Et glorificaverunt Deum*; ecce secundus. Et quidem jure merito glorificaverunt Deum, qui Filium suum Jesum tanto miraculo glorificarat, et mundo demonstrarat, simulque misero paralytico integram sanitatem restituerat. Sed quamobrem timuerunt? Quia nimirum Christus non solum sanavit paralyticum, sed etiam circumstantes Scribas ab errore revocavit. Viderunt enim illi cogitationes suas pessimas, quibus Christum judicabant blasphemum, ipsi perspectas, seque in iis deprehensos esse, et hinc merito timuerunt. Quis enim in occulto peccans, non metuit inspectorem? Hinc Samaritana illa, cum peccata sua Christo nota esse audit, relicta hydria fugit, Joannis IV. Atque hoc est, auditores, quod etiam nobis omnibus jure meritissimo timorem incutere debet, quod nimirum sciamus Deum omnipresentem, conscium et inspectorem esse nostrarum actionum. Quam ob causam sacræ litteræ toties nos monent, ut Deum cardiognosten præ oculis semper habeamus, uti Genesis XVII. *Ambula coram me, et esto perfectus*: et Deuteronomii VIII. *Recorderis Domini Dei tui*: et Proverbiorum III. *In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos*: idem commendavit Tobias filio suo: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum*, Tob. IV. Id ipsum pii majores nostri filiis suis inculcabant et inculcant hodie Germana vulgatissima voce. Inculcant, inquam, ss. litteræ et parentes: sed tamen, heu dolor! tam salutare documentum vix ulli persua-

dent. Si enim persuaderent, nemo facile peccaret Peccandi autem nec finis est nec modus. Quic igitur nos? Producamus argumenta, quæ nobis id persuadeant.

I. Quia ipse Deus etiam semper nos contemplatur singulari quadam ratione, et numerat omnes gressus nostros, ut mores componat. Ita enim David ait Psalmo XXXI. *Intellectum dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris*. Quænam hæc instructio, Domine? *Firmabo super te oculos meos*, hoc est, fixo firmoque oculo te semper aspiciam. Et quid vis tibi hoc tam curioso aspectu? Hoc nimirum: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. In camo et fræno maxillas eorum constringe*. Est ergo Dei oculus doctrina nostra et frænum, ne exorbitemus, sed in via mandatorum Dei jugiter ambulemus, adeoque velut homines, non ut pecora vivamus. Non enim ita nos intuetur, sicut pecora aut creaturas alias; sed sicut pater filium, sicut magister discipulum, vel sicut testudines quædam maximæ, ova sua quæ solo aspectu fovent, Plinio auct. libro IX. capite X. et struthiones, secundum Cælium, libro X. cap. V. Suo enim continuo aspectu Deus continere nos in officio vult, fovere et perficere, juxta id Gen. XVII. *Ambula coram me, et esto perfectus*. Decet proinde ut nos quoque ad ipsum aspiciamus, et firmemus in Deum oculos nostros, ejusque memoriam non depouamus saltem diu, qui nostri nunquam obliviscitur. Ita enim S. Augustinus, in prædicta psalmi verba ait: *Non a te auferam oculos meos, quia et tu non auferes a me oculos tuos*. Quis enim pauper, cum a divite benigne aspiciatur, non vicissim in eum respicit, ut subsidium aliquod paupertatis suæ ab eo accipiat? Jam vero: *In omni loco contemplantur oculi Domini bonos et malos*, ait Sapiens, Prov. XV. Si nobis de cælo loqueretur Deus, utique ad vocem ejus aures arrigeremus. Jam vero dum nos adeo impense contemplatur, nutu oculorum suorum nobis quasi loquitur, ut ad ipsum attendamus. Ita Christus respexit Petrum in domo Caiphæ, et nutu oculorum insinuavit ei lapsum suum, persuasitque pœnitentiæ, quasi diceret: Ecce ego pro te judicor et ducor ad mortem, et tu mei oblivisceris, meque notum tibi esse inficiaris! Hoc plane argumento utitur etiam sponsus, cum sui jugem memoriam requirit a sponsa, Cant. c. VIII. dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, q. d. semper mei sis memor, ut exponit Beda, S. Bern. serm. XV. in Cant. et alii. Signaculum enim, seu sigillum, continet in se imaginem sibi incisam prius, quam ceræ imprimatur. Ubi impressum est, ce-